

4/91

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMXCI

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS I
RMOR VARIVS I
RMOR VARIVS I

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

TOMVS 14

FASC. 90

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

"Huius aestatis homines diu recordabuntur" vinitor quidam Francogallicus putans e vitibus optimum vinum proditurum esse anno 1914° dixisse fertur. Re vera homines de illa aestate diu recordati sunt, sed non vini causa...

"Huius aestatis homines diu recordabuntur" etiam hoc anno 1991° dicere possumus reputantes casus et eventus, quibus Europa non mediocriter mutata est, imprimis in Republica Sovietica, ubi ab hominibus conservativis coniuratio contra praesidem et auctorem omnium mutationum et renovationum velut "Perestroika" et "Glasnost", Michail Gorbatschow, mota esset. Sed - et bene accidit - isti homines coeperunt eversionem tam imperite et stulte, ut non modo nihil assequerentur, sed contra illis casibus omnino sublatis sint, et cum eis etiam factio communistica, cum renovatio magis quam antea florescere et vincere coepit. Coniuratio ad irritum cecidit, quod isti homines nesciebant, quid re vera efficere voluerint, inter se ipsos discordes erant, populus Boris Jelzin duce fortissime restitit, magna parte ne milites quidem eos adiuverunt, gubernatores externi quoque acerrime se contra istos verterunt.


Memorabilis fuit ad hos eventus responsio praesidis rei publicae, Michail Gorbatschow: qui hominem magnae probitatis et sinceritatis, magnae quoque potestatis discendi (Lernfähigkeit) se praebuit. Aperte et libere confessus est se errores commisisse et hominibus non idoneis, indignis perfidisque fidem habuisse, multum se ex eventibus didicisse. Rarissimi enim sunt illi gubernatores et homines politici, qui tam aperte de suis rebus gestis loquantur et rationem reddant et quibus fortitudo sit errorum confitentorum. (Non enim ignominiae est erravisse - omnibus accidit -, imprimis, si quis rem difficillimam et maximam suscepit, ut Michail Gorbatschow). E rebus gestis apparet eum re vera didicisse et quam maxime potest operam dare ad res meliores reddendas.

Memorabilis quoque Boris Jelzin, qui maxima cum virtute pro Michail Gorbatschow et eius renovatione pugnavit. Tandem uterque vir, qui, quamquam in principio idem assequi vult, saepius antea discors erat, intellexit alterum sine altero agere non posse.

Eventus mutationis - etiamsi multa et maxima problemata supersunt - ad bonam finem ire videtur et Respublica Sovietica in confoederationem earum civitatum liberarum, quae id voluerint, mutari. Civitates Balticae interea iam libertatem assecuti sunt, aliae sequentur. Maxime necesse est nationes ceteras Europae hominibus rei publicae Sovieticae omnibus viribus adfore.

Valete


Daniel Weissmann



Si quis peregrinationem fecerit, habet quod narret

Hoc anno scolastico exacto, aestate inita, magna spe nos posse feriis aestivis una cum amicis viginti dies ad oram maris, in urbe "Saint Malo" nobis ab annis nota otio et societate iucunda frui, die decimo mensis Quintilis profecti sumus via ferrata usi. Caelum serenum erat nec minus sereno animo eramus nos ipsi, coniunx mea, Meta nostra egoque.

Sub vesperum in urbem Saint Malo advenimus, quo paulo post ceteros nostros amicos convenimus, scilicet Theodorum nostrum, Ursulam, quae est Theodori coniunx, puerosque duos eorum, qui omnes autocineto usi iam triduo ante nos in urbem Saint Malo advenissent. Hora postmeridiana nona tandem cenabamus una et amicitia cordiali, quamvis ignari non essemus Theodorum nostrum nimium vini consumere solere et ob eam causam posse omnibus nostrum fieri molestissimum.

Attamen sperabamus eum posse per illos dies saltem in societate nostra nimio vino abstinere. Quae spes nos non fefellit: Etenim Theodorus omnes deinceps dies temperantia et humanitate nos delectavit ita, ut societas eius nobis iucundissima esset, neque eramus ignari eum, cum sobrius esset, posse comitem esse gratissimum eiusque ingenii acumen facietasque saepenumero voluptate nos affecisse. Tum autem maxime admirati sumus, quod per tot dies omni vino abstinuit. Vale, Theodore! Laudata sit abstinentia tua, et proximas ferias iterum tecum nos posse agere speramus, ea condicione, ut sobrius sis, ut hoc anno fueris.

Aliquot diebus post, ambulatione fatigati, in caupona quadam nos omnes vini potioni eramus dediti, Theodorus solus vinum repudians benigno vultu aqua minerali erat contentus, sicut haberemus, quod summo opere constantiam eius admiraremur.

Interdium plerumque Theodorus nobiscum in litore versabatur, iam natans in mari, iam puerum minorem suum septem annorum natate docens, iam in tabernaculo mecum latrunculis ludens (Schach spielen).

Aliquando autem nave magna in insulam Britannicam nomine Jersey vecti sumus, quae sita est in illo mari, quod Francogallico sermone "La manche" vocatur et ab urbe Saint Malo distat plus minus octingenta milia metrorum. Ibi inveniuntur negotia multa feminis offerentia merces illecebrosissimas, sicut non esset mirum feminas nostras spectandi et admirandi vix potuisse facere finem. Nos autem viri, Theodorus egoque, feminarum emendi cupiditatem aequo animo iam non tulimus et birotis mercede conductis insulam circumvecti sumus; atqui tribus horis post feminas nostras convenimus in taberna quadam, ut erat constitutum et sub noctem lassitudine quidem confecti, at hilares ad Saint Malo nave vecti revertimus.

Interdium ab horis matutinis usque ad horas solis occidentis cottidie in litore maris versabamur, cum per omnes prope dies caelum serenum blandique soles essent. Itaque litus maris hominibus abundabat, pueris puellisque imprimis ludendi, garriendi, natandi studiosis, et audiri poterant linguae variae complures hospitem, qui e multis nationibus advenissent, maxime e Gallia cetera, e Germania etiam et Britannia. Accessum maris (Flut) illis in locis a decessu

(Ebbe) multum differre notum est, scilicet plus minus undequinquaginta pedes vel nostrorum temporum modo Helvetico spatia metiendi plus minus sedecim metra. Itaque cum aliquando tempore decessus maris collem non procul a litore situm, nomine "Grand Bé", pedibus ascendissemus et in colle summo sepulcrum Chateaubriand poetae spectantes diutius morati essemus, praeterea de mari nihil cogitantes, quod illo temporis puncto esset accessurum, non ignari quidem accessu maris pedibus a colle in litus rediri non posse, Meta nostra subito nos admonuit, ut tandem deorsum (hinunter) curreremus, quamdiu pedibus possemus redire. Verba Metae nostrae nos exterruerunt. Namque eramus vestibus induti et erat apertum collem, ubi essemus, tempore accessus maris esse insulam et hanc ob rem ad litus rediri non posse nisi natando. Retro autem natare nobis vestibus indutis minime placebat. Ergo deorsum festinavimus ad molem (Damm) viamque infra sitam et pervenimus in tempore ad litus, pedibus tantum paulo madefactis. Sin autem diutius in colle vel in insula illa mansissemus, opus erat, ut totam noctem illic ageremus. Itaque adhuc Metae gratiam habemus, quae nos sit ad festinandum hortata.

Urbs Saint Malo alto vallo cincta est, quod vallum Franco-galli temporis nostri "les remparts" vocant et restauratum est post bellum secundum omnium gentium (zweiter Weltkrieg). In summo valle vesperi circum urbem solebamus ambulare inter ceteros multos hospites prospectu gaudentes, quem habebamus altera ex parte in mare, altera in terram domibus contectam, ubi lucas plurimae nocte splendebant.

Aliquando Metam nostram, quippe quae templa antiqua videndi semper sit studiosissima, ad Montem Sancti Michaelis (Mont Saint Michel) comitatus sum, qui ab urbe Saint Malo plus minus decem milia passuum distat. Qui mons altus est ducentos septuaginta pedes et aestu minuente (bei Ebbe) pedibus ad eum perveniri potest, atqui accessu maris (bei Flut) insula est. Prope totus mons coaedificatus est (bebaut) et templum alte prominens christianae religionis sacrum sub saeculum decimum tertium dicunt esse exstructum et permulta saecula visitatum a piis hominibus christianis, et nostris etiam temporibus fama utitur permagna. Non enim arte tantum eximia architecturae excellit, verum etiam eximiae erga deum pietatis hominum medii aevi est documen-

to. Opus nobis erat ascendere per gradus prope innumerabiles in altum. Meta erat plena admirationis, ego minus, quippe qui propter multos gradus anhelando paene essem exanimatus et omnino de architectura et de templis christianis animo et cogitatione fere nihil comprehendam.

Emanuel Bernard



MYTHI HELVETICI

De Feciae (1) dominula

Sunt saltem inter homines seniores Lupiconenses (2) sive Templimontanos (3), qui recordentur matres, cum se aliquid committere iussissent ita, ut per silvam Feciam (1) iter sumere cogerentur, monuisse: "Cum ad Feciae silvae trivium perveneritis, cavete, ne Feciae dominula vos in errorem abducat. Si de via aberraveritis, in palude miserimo more peribitis. Ne quid eam interrogaveritis ad viam sedentem! Crucis signo signati quam celerrime ire pergite!"

Vehementius etiam matres monebant, cum mala tempestas instabat atque paene impediabat, ne quis iter faceret.

"At quis est Feciae dominula?" pueri scire cupiebant.

"Anus veterrima et atrocissima est, plena dolorum (4) malorum et malitiae diabolicae. Quae ad viae marginem sedere solet."

Vesperi autem puero sive puella feliciter domum regresso totaque familia, cum foris ventus strepitaret, circum focum sedente mater submissa voce illa de Nesa Fuscimontana (5) narravit, quae olim puella lepidissima atque pulcherrima fuerat. At, eheu, non tam humuli simplicique erat animo quam parentes et fratres et sorores, sed splendorem vestimentorum divitum atque mores hominum pravorum laxatos amabat. Qua de causa non erat mirandum, quod equiti cuidam Consiliimontano (6) prodigo contigit, ut eam parentibus

primum precantibus, deinde monentibus, postremo autem execrantibus in arcem suam alliceret. Qui uxorem propriam expulerat. Tunc Nesa vestibus splendidissimis induta gemisque ornata pretiosissimis in arce domicilium sumpsit, ut in splendore fallaci neque non in ignominia viveret. Insuper autem parentes illudere solebat: Magno hominum canumque clamore tempore venandi praeter parentum domum equitabat non curans matrem ob filiae facta tristissimam, sed nihilominus sperantem filiae animam mutatum iri puellamque olim domum redituram esse.

At complures per annos frustra sperabat mater, quam dolores et curae ante tempus contriverunt. Mortem adesse sensit.

Cum se mox obituram esse animadverteret, servum veterem ad filiam misit, quippe cui, antequam animam efflaret, valediceret. Servus valde festinans cum ad arcem perveniret, arcis incolas cernit paratos ad cervum aliquem viribus intentis fugientem atque silvam proximam petentem venandum. Servus humilis et petaso manibus capto af viae marginem substitit et exspectavit, donec Nesa cum equite praeterequitaret. Tunc: "Noli pergere, domina maxime honorabilis!" exclamavit. "Mala enim habeo, quae tibi dicam. Mater tua iam obitura est. Quae me ad te misit, quod tecum loqui cupit, antequam mori debeat. Noli cunctari, domina, tempus enim maximopere urget!"

His auditis Nesa per paulum temporis momentum dubitavit inscia, quid faceret. Mox equitem, mox servum adspexit. Eques denique superbo risu: "Quantas feminarum ineptias!" inquit. "Vetulae semper querentur. Capitis doloribus minimis vexatae iam de moriendo loquuntur, sed diabolo vivaciores sunt. Sine vetulam istam et propera, ne cervus nobis elabatur!" Tunc equo calcaribus citato avectus est, quem Nesa ceterique equitis comites secuti sunt.

Servus autem perterritus et fessus domum revertit, ut matri morienti nuntium malum referret. Graviter suspiravit anus, sed tunc manibus plicatis fecit, quod nemo eam facere crederet: Suppliciter enim oravit pro filiae salute aeterna et exspiravit.

Non multo post eques Consiliimontanus per vitam nefariam, quam agebat, divitias suas cunctas omnino consumpserat, ut nihil ei restaret nisi militis communis more stipendia merere et in Terram Sanctam proficisci, ut contra Saracenos

dimicaret. Nesa vero sola et relictam emigravit et panem pauperiei gustabat, quod neque domicilium neque pecuniam habebat. Ubique terrarum mendicabat, in aulis autem nobilium vel in foris oppidorum ea carmina cantabat, quae antea diebus felicioribus in arce Consiliimontana (6) audiverat. Eheu, quam amarae erant inopia et hominum despectio!

Tunc in terra, ubi Nesa forte quadam versabatur, saeviebat unus eorum morborum, qui media aetate horribilissime saevire solebant, neque Nesae temperatum est. Cum se iam morte captam et signatam esse sentiret, passus in patriam direxit, ut ibi quietem ultimam reperiret. Quisquis mulierculam istam pauperem, esurientem sordidamque baculo nixam et vix spirandi potentem vidisset, nullo modo cogitasset eundem hominem aliquot annis ante pulchram superbamque dominulam per silvas patrias equitavisse. Nunc per easdem silvas patrias repsit neque invenit, ubi caput ad quietem reponeret.

Tum Nesa ad eam aream pervenit, qua dividitur in vias duas, quarum altera Lupiconem (2), altera autem ad paludem inviam ducit. Qui locus erat ad silvae Feciae (1) initium. Hic Nesa omnium recordata est, quae acta erant: Vidit mente iterum servum veterem prae se stantem, qui se ad matrem morientem vocaret. Paucis iam passibus factis sub arborem se prostravit et mortem amaram relictorum et profugorum amplexa est.

Quietem autem nondum invenerat. Quidquid mali parentibus commiserat, hoc gravius erat peccatum. Lemur dominulae in terra versari debebat. Utinam nunc saltem mentem mutasset! Sed cogitationes eius malae manebant: Homines in errorem mittere ei voluntati summae erat. Si quis eam de via recta interrogaverat, ei viam falsam monstrabat, viam enim ducentem in errorem et in paludem.

Feciae (1) dominula hodie certe etiam circumvagaretur, nisi multis annis post mirus quidam eventus accidisset nocte hiemali frigidissima et tempestuosissima. Quo enim vespere puella per ventum et nivem erravit, quae coacta erat ire Lupiconem (2), ut matrem morituram ultimum videret. Cum ad Feciae silvae initium pervenisset, eheu, nesciebat, utra via uteretur. Tunc prope abietem veterem quandam materculam stantem cernit.

"Pro dei voluntas! Matercula, dic mihi, utra via Lupiconem

ducat!" Matercula autem nemo erat nisi Feciae dominula, quae mala animoolvebat. Manu altera levata puellae non viam Lupiconem ducentem monstravit, sed viam in errorem protensam. Iam puella eam viam sumptura iterum materculae faciem adspiciens perterrita risum diabolicum ludibriosumque animadvertit. Nunc puella sciebat, quis esset matercula. Attamen ad illam versa suppliciter oravit: "Miserere mei et monstra mihi viam! Etsi es Feciae dominula, tamen mihi ades! Mater enim mea moritura est; quam videre ultimum volo. Ne tam impia sim, ut frustra me exspectare debeat! Ades mihi!"

Feciae dominula nihil dixit, sed reminiscens rerum ipsius adversarum, quod matri valedictionem recusaverat, speciem subito mutavit: Oculi mites splendere coeperunt, ut puella confidens eam viam sequeretur, quam dominula ei monstraverat.

Eo autem temporis momento, quo Feciae dominula misericordiam praestiterat, anima cruciata tandem requiem aeternam reperit.

- 1 Feciae dominula: Fecia silva sita est in pago Sancti Galli prope oppidum Villare (Theodisce: Wil) et lingua indigena "Fetzwald" vocatur.
- 2 Lupico (Theodisce: Wolfikon) est vicus non longe a silva Fecia situs.
- 3 Templimontum sive "Kirchberg" in eadem regione situm est ac Lupico.
- 4 dolorum: haec forma derivatur a vocabulo doli, non a vocabulo doloris.
- 5 Nesa Fuscimontana Theodisce Nesa von Brunberg appellatur.
- 6 Eques Consiliimontanus Theodisce Ritter von Rätenberg vocatur.

Horum nomina locorum omnium a me ipso latinizata sunt. Puto enim nomina Latina non existere. Quae latinizavi, ut amici nostri linguae Theodiscae non periti tamen sciant, quid significant illa nomina.

Martin Meier

Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. socia Adam in paradiso
2. hoc tempore rerum natura renovatur (Abl.)
3. munitioni
4. pronomen possessivum Latinum

Daniel Weissmann



De Minturnensi Cai Marii casu apud Lucanum (II, 67–88)

Primo post Cristum natum saeculo, Cai Marii casum, in carcerem Minturnensium perducti, duo rerum scriptores et unus poeta longe aliis rationibus consideraverunt. Res ipsa vero simillime ab omnibus narratur: servum publicum, natione Cimbrum, Marium, in vincula coniectum, gladio interficere (quod iussus erat) non sustinuisse. Velleius Paterculus (1) magno dedecori civibus Romanis fuisse censet, quod ab hoste tantum virum. Popularem suum, humanius tractare didicerint, quod necesse fuerit Cimbricum mancipium ducis Romani misereret, ut inhumanitatis suae Minturnenses tandem puderet ac paeniteret. Hoc quoque Velleius animadvertendum esse putat, quo fortunae inconstantia magis perspicue deprehendatur, quod Mario, qui paulo ante principis loco Romae habitus esset, Germanici captivi auxilio opus fuerit, ne ultimo afficeretur supplicio. Tam indignarum rerum culpam in civilia bella transferendam esse persuasissimum videlicet actor habet: ne vero aliter sentire poterat, qui non modo Augusti, orbis pacatoris, sed et Tiberii, eius heredis, principatum summis pluribus locis laudibus extulerit (2).

Valerius Maximus (3) Marii casum in operis sui parte tractavit, qua quantum maiestas polleat opportunis declaratur exemplis. Absurdum enim atque intolerabile erat summum illum virum, tot et tantis honestatum triumphis, ab hoste, quem ipse in captivitatem redegit, mortifere percuti: claritate sua Marium inermem protectum ac defensum esse expressis Valerius verbis significavit. Hoc autem praecipua admiratione dignum videtur, quod Cimbricus hostis quam incongruens et indecorum mandatum exsequi iussus esset prius intellexit, quam Romanos tam prava imperasse paenituit: quod ad ista attinet, cum Velleio Valerium consensisse dicas. Non autem hac mente Marii casum Valerius attigit, ut civilia bella exsecraretur, immo quo manifestius tanto exemplo pateret vel penes hostem plurimum maiestatem posse, et in extremo vitae discrimine ei, qui tali praeditus esset dote, insperatum suppeditare auxilium. Quod quidem auctorem, exempla morum ac documenta e rebus gestis haurire assuetum, convenientissime decet.

Lucanus vero, in secundo poematis sui libro (4), ubi qui terror, civili altero bello orituro, toti civitati impendeat fusius describit, quendam grandem natu civem inducit Sullana ac Mariana tempora amariter commemorantem ac praesentibus periculis probabiliter comparantem. Longe alia ratione hoc Lucani loco Minturnensis Marii casus iudicatur: melius procul dubio atque optabilius fuisse, si Cimbricus ille servus mortiferum impavide mandatum executus esset; nefariam enim caedium ac vindictarum seriem miserrimam civitatem non fuisse insequentibus annis passuram. Non ergo ut Romanos eximii concivis misereri doceret, nec quod summi viri maiestate tantum patrare facinus quodammodo prohibitus esset, Cimbricus captivus Mario pepercit, sed quia vocem talia sibi iniungentem ac suadentem audire visus erat:

".....fas haec contingere non est
colla tibi; debet multas hic legibus aevi
ante suam mortes; vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletae funera gentis,
hunc, Cimbri, servate senem. Non ille favore
numinis ingenti superum protectus ab ira
vir ferus et Romam cupienti perdere fato
sufficiens....."

(vv. 81-88)

Contraria igitur, quam quae Valerius et Velleius opinati sunt, Lucanus de Mario sensisse videtur, adeo ut involuntarium futurae ac fatalis Cimbricae in Quirites ultionis instrumentum fuisse illum existimaverit. Nil autem mirum: qui Catonem numinis quasi loco veneratus est, Caesarem tamquam romanae libertatis evasorem omni notavit ignominia, num aliter iudicare poterat de Mario illo, quem Caesaris secundum, popularium partibus favens gesserat, cui Caesaris amita nupserat (5), cuius vita defuncti Caesar, aedilis factus, sculptas imagines in Capitolio collocandas curavit (6)? Nec parum veri simile videtur hac mente Lucanum tam aspere in Marium invectum esse, ut Valerium et Velleium, qui Sullae adversarium laude dignum habuerant, indecorae accusatos assentationis severe confutaret. Locis enim, quorum mentionem fecimus. diligenter comparatis, quantum inter deforme erga imperatores (et eorum praecursores) obsequium, in quod plus aequo proni fuisse haud immerito Valerius et Velleius existimantur, et abruptam contumaciam, qua tyrannidi resistendum esse (et fuisse) Lucanus firmissime censuit et praedicavit, re vera interfuerit, facile concludi potest.


Adnotationes:

- 1) Vell. II, 19: "...ut agnovit Marium, magno eiulatu expromens indignationem casus tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere. Tum cives, ab hoste misereri paulo ante principis viri docti, instrumentum eum viatico conlataque veste in navem imposuerunt."
- 2) Vell. II, 114-115
- 3) Val. Max. II, 10, 6: "Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis praestrinxit, devictaeque gentis suae interitus animum comminuit, etiam dis immortalibus indignum ratis ab uno eius nationis interfici Marium, quam totam deleverat."
- 4) Lucan. II, 67-88.
- 5) Plut. Caes. I.
- 6) Plut. Caes. VI.

Orestes Carbonero



Facete lepideque dicta



Priusquam homines quidam ad
auxilium egentibus populis
praebendum* venerant, hic
parva et amoena oasis erat.

* Entwicklungshilfe

Daniel Weissmann


SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce ille,
qui primum, secundum, tertium praemium accipiet:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Ursula Schwenk	Magdalena Grunder	Thomas Glatzfelder u. Mariann Grunder
Aehrenweg 13	Dürreneggen	Plattenweg 44
5430 Wettingen	3715 Adelboden	3098 Schliern b.Köniz

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!
Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria



De equite nigro

Personae

Eques niger
Rufus agricola
Lucia Rufi uxor
Titus Rufi filius
Tullia Rufi filia
Quintus Tulliae amator
Sabina ancilla
Davus servus

Chorus agricolarum

In oppido Paesto sumus, primo p. Chr. n. saeculo.

Scaena prima

Personae: Rufus, Titus, chorus agricolarum, eques niger
Est media nox. Rufus, Titus, chorus in tumulum equitis nigri intrant.

Rufus : Tandem tumuli aditus apertus est. Fama thesauri equitis nigri adducti multas noctes hic laboravimus. Fortasse thesaurus equitis noster erit.

Chorus : Non avaritia
Sed inopia permoti
Huc pervenimus.
Rustici pauperes sumus.
Fortuna iuvante divites erimus.

Rufus : Agite, optimi. Quaeramus thesaurum!

Titus : Quaeso, quaeso, patercule! Ha, quid video? Magna copia auri et argenti ibi fulget.
(Imago equitis nigri in pariete videtur)

Vox equitis : (post scaenam)
Cede, sceleste, noli tangere thesaurum meum!

Titus : Ha, quid audio? Timeo.

Chorus : Ha, imago equitis nigri verba facit. Timemus.

Vox equitis: Tacete, caudices, non imago, sed eques niger ipse verba facit.

Omnes : (praeter equitem) Heu, idolum nobis instat!
Eques : Abite, homines impii! Cur sepulcrum meum violatis?
Rufus : Ignosce, domine! Non cupiditate auri, sed paupertate movemur.

Titus : Et tantae res formosae me valde delectant.

Rufus : Tace, nebulo.

Chorus : Mors hominem divitem
Pauperi aequat.
Neutri divitiae opus sunt.

Unus ex agricolis ad equitem: Da nobis thesaurum tuum, optime, et tibi semper gratias habebimus.

Eques : Fabulae. Nonne videtis me vivere? Quietem sepulcri mei perturbavistis. Ad vitam revocatus sum. Nunc desideriiis hominum denuo teneor.

Titus : Quid narras? Rideo. Mortuus es, mortuus semper eris. Thesaurus tibi non iam prodest.

Unus ex agricolis ad Titum: Tace, Tite, mente captus es! Tu nos perdes.

Eques : Hahahae, perditum iam estis, scelesti. Opus est voluntati meae cedere.

Rufus : Dic, quid vis, domine?

Chorus : Quid optas, optime?

Eques : (ad Rufum) Cras mane, prima hora, ianuam tuam pulsabo. Mandata a me habebis. Fas enim est te maximam poenam dare, nam mali auctor es. (exit)

Rufus : Heu me miserum! Omnia in me incidunt.

Chorus : Idolum verum dixit.
Tu nos ad malum instigavisti.
Poenam pro te dare nolumus. (exit)

Rufus : Heu, heu, ab amicis derelictus sum. Thesaurum mecum rapere voluistis. Nunc autem me deseritis.
(exit)

Titus : Quid attinet lamentari? Occasio datur. Nonnullos anulos sumo. (anulos sumit et exit)

Scaena secunda

Personae: Davus servus, Sabina ancilla, Lucia Rufi uxor, Quintus Tulliae amator

Ante Rufi casam sumus. Prima luce Sabina casa exit.

Sabina : Vae nobis! Quod periculum nobis imminet? Mox idolum ianuam nostram pulsabit. Mox cunctam familiam perdet. Vae, vae, vae!

Davus : Noli desperare, Sabina! Rufus dominus nobis carus est. Decet eum adiuvere.

Sabina : Belle narras, Dave. Quid autem praeterea?

Lucia : (casa exit) Heus, heus, quid calamitatis! Rufus miser totam noctem magnis curis vexatus est. Modo somnum cepit. Nolite tumultari!

Sabina : O domina, vobiscum semper stabimus.

Davus : Recte dicis, Sabina....pst, quid audio? Estne iam eques niger? Nos abdamus in angulum hunc.
(se abduunt)
(Quintus apparet, canistrum plenum pomorum apportat)

Quintus : Quam hora haec est iucunda! Sol pulcher erit. Caelum iam serenum est. Puella mea adhuc dormit. Mox autem e lectulo surgens dono meo delectabitur. (canistrum ante ianuam deponit) O Tullia, deliciae meae, quam te amo, quam tu me amas! (subito caelum obscuratur. Sonitus pedum armorumque auditur)

Vox equitis nigri (post scaenam):
Rufe, ubi es? Monstra te, sceleste. Iustam poenam dabis.

Quintus : Pro Iupiter, quis clamorem hunc edit? Quis Rufum scelestum nominat? Monstra te, furuncule! Colaphum tibi ducam.

(Sonitus pedum armorumque crescit. Tota scaena speciem larvalem praebet)

Vox equitis : Tace, homuncule! Te et tuos perdere possum!
(Eques apparet. Dies illucescit)

Eques : Ecce me! (armis crepat) Exi casa, Rufe; accipe iudicium!

Quintus : Quid ille narrat?

Davus, Lucia, Sabina (e latibulo proveniunt):
Noli irritare idolum!

Quintus : Deliratisne?

Davus : Res est in summo discrimine. Postea tibi rem nar-
rabimus. Ecce Rufum dominum!

(Rufus tremens e casa exit. Tullia Titusque eum sustinent)

Titus : Noli timere, patercule! Semper tecum ero.

Tullia : Numquam te relinquam, optime! (ad equitem) Clementer nobiscum age, domine! Pater meus vere vir probus est.

Eques : Ha, puella haec sane pulchra est. Mihi placet.

Rufus : Est filiola mea dilectissima, solacium casus duri.

Eques : Ha, res bona mihi venit in mentem. Filia tua quoque solacium meum erit. In matrimonium eam ducam.

Rufus : Heu, heu, omnia bona mea asportare potes, domine. Asporta frumentum, asporta asinum, asporta casam cunctam! Relique mihi autem filiulam!

Eques : Bona tua non cupio. Cupio puellam. Cras mane, eadem hora, sponsam meam abducam. (ad Tulliam) Optime tecum agam, corcule. Ditissima eris. (exit)

Quintus : Prae iracundia non sum apud me. Istum manibus meis occidam.

Davus : Sine, optime! Armatus est. Non armis, sed calliditate ingenii istum vincemus.

Alii : Utinam dei nos adiuvent! (exeunt)

Chorus : Clamoribus adducti
Omnia audivimus.
Pudet nos ignaviae nostrae.
Nos quoque Rufo suisque aderimus.
Fortes fortuna!

Scaena tertia

Personae: Quintus, Davus, Titus, Tullia, Chorus
Semper ante Rufi casam sumus.

Quintus : Di boni, quid ego audivi. Non modo Rufo, sed etiam nobis cunctis sors dura imminet.

Tullia : O Quinte, quid de me fiet? Cras mane idolum me abducet.

Titus : Quam misera est puella, quae amat.

Quintus : Numquam te relinquam, corcule. Moriemur una.

Davus : Praesta te virum, Quinte, praesta te fortem, Tullia. Nolite animos abicere! Consilium bonum iniri decet. Fortasse idolum verum idolum non

est. Fortasse est fraudator nefarius.
 Tullia : Dic, amabo, quid faciamus?
 Titus : Propera narrare, optime!
 Davus : Accipite consilium meum: Ante vesperum in tumultum equitis nigri clam intrabimus. Nos ibi occultabimus et adventum idoli exspectabimus.
 Titus : Ha, omnia intellego. Idolum nos non videbit, nos autem videbimus idolum.
 Davus : Et de origine idoli certiores fiemus.
 Quintus : Ha, mehercle, puer ille sane callidus est!
 Davus : Mitte!
 Titus : Ego quidem omnes amicos nostros advocabo...Venite hic, amici! Auxilio vestro nobis opus est.
 (Chorus appropinquat)
 Chorus : Viribus unitis hostem sustinebimus.
 Curemus,
 Properamus,
 Captemus
 Furciferum!

Scaena quarta

Personae: Davus, Quintus, Titus, eques niger, chorus
 Iterum in tumulto equitis nigri sumus. Vesper iam adest.
 Quintus : (post scaenam) Res satis deliberata est...Quid cessatis intrare, amici?
 Titus : (primus intrans) Plus potest audacia quam animus timidus. Vobis bonum exemplum audaciae praebeo.
 Ceteri : (prudenter intrantes) Furcifer nondum adest. Nos hic occultemus eumque exspectemus!
 Davus : Properate, res monet!
 (omnes se occultant)
 Titus : (ex angulo) Non hic manebo usque ad Kalendas Graecas.
 Davus : St, tace...obsecro. Iam gradus audio.
 Chorus : Tacete, tacete!
 Eques niger: (intrat, iam titubans, nam multum vini bibit. Arma partemque vestis deponit) Hui, quam stulti sunt rustici isti! Me idolum putant. Hahahae...- Sum autem fortunae filius. Cras mane puella pulcherrima mihi erit.

Quintus : (ex angulo, parva voce) O, o, o istum pugnis meis tractabo.
 Davus : St, cave, Quinte...
 Eques : (semper bibens) Quid audio? Aliqui ventus foris flat. Equidem hoc loco quietem meritam capiam. Cras iam maritus novus ero...hahahae. (cantans) Io Hymen, Hymenaeae, io, gaudeamus nuptiis! (semper bibit)
 Quintus : Puer iste vero insanus est.
 Eques : (titubans) Sta, pes, sta mihi pes, noli me deserere pes...(subito considit) Oiei, oiei, pes mihi non paret. Vir infelix sum...(flet)
 Chorus : (appropinquans) Hui, hui, hui,....
 Eques : Mehercle, magna tempestas foris orta est. Hoc nihil ad me pertinet. (iam dormit)
 Chorus : Hui, hui, hui...
 Davus : (appropinquat et equitem pede tangit) Iam nihil sentit. Plenus vini est. (ad ceteros) Eum deprehendite et foras efferte! Ebriosus iste cras mane tempestatem veram subibit.
 Omnes : Di ei perniciem parent! (equitem deprehendunt eumque asportant)
 (Titus denuo aliquas armillas capit. Tum quoque exit).

Scaena quinta

Denuo ante Rufi casam sumus. Eques niger humi sedet. Vino gravis somnoque excitatus se excusare incipit. Voces variae audiuntur. Chorus equitem minans circumstat. Ceteri haud procul a choro stant.
 Chorus : Verba inania facis, peregrine.
 sub idoli specie
 Puellam thesaurumque rapere voluisti.
 Magna poena dignus es.
 Davus et Titus : In iudicium te vocabimus.
 Quintus : Iudices Paesti in te animadvertent.
 Eques : (flens) Ignoscite mihi, quaeso! Misericordiam vestram imploro. Scelere me obstrinxi. Paenitet autem me maleficium.

Sabina : Magnum dolorem nobis dedisti.
 Lucia : In summam desperationem nos adduxisti.
 Chorus : Ex iusta poena non evolabis.
 Tullia : Iracundiam vestram sedate, quaeso. Nemo vestrum enim extra culpam est. Vos quoque thesaurum rape-
 re voluistis.
 Rufus : Recte dicis, puella. Etiam nos scelus commissuri eramus. Nunc autem thesauro renuntio, nam rusticus pauper, sed honestus sum.
 Chorus : Nos quoque idem sentimus. Abdicamus malis divitiis.
 Titus : Calamitate doctus res istas reddam. (anulos armillasque praebet)
 Rufus : Thesaurus rei publicae erit!
 Tullia : Varia fortuna usi sumus. Nunc autem res prospere evenire videtur. Animus cohibite! Dimittite peregrinum!
 Quintus : Homo importunus non sum, Tulliola. Inimico concedo.
 Rufus : Equidem dexteram tibi offero, peregrine. Pax sit inter nos.
 Eques : Prae laetitia vix loqui possum. Vitam a te habeo, Rufe. (ad ceteros) Maximas gratias vobis debeo.
 Lucia : Hunc diem festum iure celebrari oportet. Vos omnes voco ad convivium.
 Sabina : Cenam optimam comparabimus. Valeant curae! (exit)
 Chorus : Mensas cibus onerari decet. Apportate vinum, apportate ferinam! Cantemus, saltemus, gaudeamus! (exit)
 Tullia : (ad spectatores) Vos quoque in communi laetitia gaudete! Nihil enim praestat quam pacem conciliare inter homines.
 Sit iter vobis laetum!

Barbara Maier

Non licet hanc fabulam in scaenam producere nisi
 permissione auctricis!

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
 (Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
 DATVM ALICVI
 Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
 (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
 c/o AKAD
 Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZB

8050 Zürich

4/91

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCM XCI



RVMOR VARIVS



TOMVS 14

FASC. 90